Quelle: https://manuscripta.at/?ID=833
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

mentem nostram quibus tamquam nobis v. p. adhiberi velit credentie
plenam fidem Datum Parme die prima Mensis Aprilis etc

Alia ad sacrum Concilium

Reverendissimi in christo patres et venerabiles sincere dilecti Inter sollicitudi-
nes innumeras quibus prefelici statu Sacri imperij et rei publice cui
auctore domino feliciter presidemus cor nostrum cottidie fatigatur adhoc pre-
cipue nostra meditacio dirigitur qualiter desiderata pacis tranquillitas
in principatu Electoratus et ecclesia Treverensi nutriatur et vigeat que
nunc cum suis hominibus utriusque status dampnosis subiacet periculis
et quatitur fluctibus monstruosis quibus obviandum arbitramur congru-
ere atque dignum Sacrosancti Basiliensis concilij remedium apponendum
cum causa huius Treverensis appertet principue foro ecclesiastico dirigenda
Et quamquam proxime tenemus ecclesie prefate Treverensis tribulaciones
multiplices et dira gravamina quibus per progressus et filias et alios
per venerabilem Rabanum Spirensem molestatur ad vestrarum paternitatum audienciam
devenisse Ex superhabundanti tamen nos qui ea animo compassivo
in mente tenemus Ipsam vestris paternitatibus duximus commendandam
Easdem v. R. p. affectuose rogantes et affectuosius exhortantes
Quatenus intuitu dei et eius iusticie cuius res vos agitis ac etiam
nostre contemplacionis intuitu prefatam causam Treverensis ecclesie et
ambas partes pro ipso Archiepiscopatu contendentes videlicet Spirensem Rabanum
et Vlricum de Manderscheyd electum Treverensem coram vobis in con-
cilium generale evocare audire discutere et ipsas partes vijs et modis
congruis et oportunis ad votivam pacis amenitatem reducere
velitis Clerum et populum Archiepiscopatus Treverensis et ipsam ecclesiam
in suis antiquis Iuribus consuetudinibus laudabiliter introductis
et diutius observatis ac gracijs et libertatibus benigniter conservando
taliter provisuri ut speramus quod huiusmodi dissensionibus et tantarum periculis
in hac causa vestro salubri remedio succurratur ne ipsi litigantes po-
pulum ducant ad scandala et dampna graviora per guerrarum rabie
suscitanda In hoc enim adeo consequimini premium eternum ab hominibus immense
laudis titulum nobis quoque et prefate ecclesie facietis gratum beneficium compla-
cencie singularis Datum parme Anno etc xxxij die viij Mensis May etc